



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Continuatio primæ sessionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

Te Deum. Illustris. Metropolitanus  
benedixit Synodo, & omnes recesserunt.

Die Martis decimo sexto Octobris  
Anno 1565.

**F**uit continuatio sessionis, prout statutum fuerat. Itaq; bene mane Illustris. Metropolitanus cum Patribus accesserunt ad Ecclesiam maiorem, & celebrata fuit ab uno Canonicorum Ecclesiae Metropolitanae Missa de Spiritu Sancto submissa voce.

Deinde praedictus Illustris. & Patres induiti paramentis consuetis residerunt in locis suis, dicta tamen prius per ipsum Illustris. oratione. Adsumus sancte spiritus &c.

Adfuerunt autem omnes Patres, praeter duos Cardinales Tranensem & Vercellen. & Reuerendiss. Episcopos Alben. & Brixien.

Cum igitur omnes consenserint, vntus ex Secretariis accessit ad Illustris. Metropolitanum, a quo mandatum accepit ut legeret omnia decreta Concilij Tridentini super Dogmatibus. Ita consenso Ambone, alta voce dixit. Illustris. & Reuerendiss. Domine, Reuerendissimi Patres. Cum sacra Tridentina Synodus præceperit omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & omnibus, qui de iure vel consuetudine in Prouincialibus Synodis interesse debent, vt in prima Prouin. Synodo post ipsius Trid. Conc. finem celebranda, omnia & singula ab ipfa Synodo statuta & definita palam recipiant; propterea Illustris. & Reuerendiss D. Carolus Cardinalis Borromeus mandauit, vt omnia Tridentini Concilij decreta legerentur. Decreta igitur, quæ modò a me legentur, sunt illa quæ à sacrosancta Trid. super Dogmatibus fuerunt publicata.

Quibus dictis, omnia decreta & canones vt supra ordine legit: quibus absolutis descendit, & alter Secretarius accessit ad Illustris. Metropolitanum, qui mandauit ei vt legeret eodem modo omnia Decreta super reformatione: qui cōscenso Ambone, dixit: Illustris. & Reuerendiss. Domini, Reuerendiss. Patres, Decreta quæ modò a me legentur, sunt

ea quæ à facta Tridentinæ Synodo super reformatione fuerunt statuta: & sic ordine cœpit ea legere, & peruenit usque ad sess. xxiiij. Et cùm iam hora tarda esset, de mandato Illustris. Metropolitanus dixit: Quia hora tarda est, quæ agenda supersunt, hodie hora vigesima secunda expedientur. Statim igitur à prandio iterum conuenetunt Patres ad Ecclesiam, & acceptis paramentis consuetis, Illustrissimus Metropolitanus dixit orationem. Adsumus sancte Spiritus &c. qua dicta considerunt omnes in locis suis. Secretarius qui mane legerat decreta de reformatione, ascenso Ambone dixit, Illustris. & Reuerendiss. Domini, Reuerendiss. Patres, decreta de reformatione quæ supersunt, nunc a me legentur. legit omnia. Ultimo loco legit Confirmationē Concilij Sanctiss. D. N. iuxta testimonium Cardinalis Farnesi Vicecancelarij.

Quibus peractis Illustris. Metropolitanus deposita mitra genibus flexis ante altare voce intelligibili emisit professionem fidei ex præscripto Concilij Trident. & formula constitutionis Sanctiss. D. N. de verbo ad verbum yz.

Ego Carolus Cardinalis Borromæus Archiepiscopus Mediolanen. ea omnia & singula, quæ à sacrosancta cœumenica & generali Tridentina Synodo definita & statuta sunt recipio, necnon veram obedientiam summo Romano Pontifici spondeo & profiteor, hærefessique omnes à sacris Canonibus & Generalibus Concilijs, præsertimque ab eadem Synodo damnatas detestor & anathematizo, iuxta formulam præscriptam à Sanctiss. D. N. Pio Quarto Pontif. maximo in Bulla professionis fidei, quæ eiusmodi est: Ego N. firma fide &c.

Ego idem N. spondeo, voleo, ac iuro: sic me Deus adiuvet, & hæc Sanctæ Dei Euangelia. Et hæc dicens, Euangelia ambabus manibus tetigit, & osculatus est.

Qua lecta, Metropolitanus sedet in loco suo cum Mitra pretiosa, & tenens in manibus librum Euangeliorum, primum accessit ad eum Illustris. Cardinalis Vercellen. qui primū deposita Mitra inclinavit

inclinavit se, & deinde flexis genibus ante Illustris. Metropolitanum eandem professionem emisit, legens de verbo ad verbum vtsupra eadem ratione. Sic me Deus; & surgens iterum inclinavit se resumpta Mitra, abiitque ad locum suum. Post ipsum accessit Reuerendiss. Albenensis, & cum eo reliqui Patres, qui omnes genuflexerunt capite aperto. Albenensis autem antiquior suffraganeus, ceteris audientibus legit totam prædictam professionem modo prædicto; quā ceteri non legerunt, sed vt citius negotium transigeretur, dixerunt hæc Verba, accedentes singuli ordine suarum promotionum, & osculantes Euangelia cum inclinationibus vtsupra. Verba autem fuerunt ista.

Ego N. Episcopus N. ea omnia & singula quæ à Sacrosancta cœcumenica & generali Tridentina Synodo definita & statuta sunt recipio, necnon veram obedientiam Summo Romano Pont. spondeo & profiteor; hæresesq; omnes à sacris Canonibus, & generalibus Concilijs, præsertimq; ab eadem Tridentina Synodo damnatas detecto & anathematizo; fidemq; profiteor iuxta formulam præscriptam à Sanctissimo D. N. Pio Quarto Pont. max. in Constitutione sua, quam nunc legit Illustris. & Reuerendiss. Dominus Metropolitanus nositer, & Reuerendiss. Pater Dominus Episcopus Albenensis: & ita ego recipio, spondeo, profiteor, anathematizo, voweo, ac iuro: sic me Deus adiuvet & hæc sancta Dei Mysteria Euangelica.

His ita gestis, Vnus ex Secretariis legit Decretum sequentis sessionis videlicet.

Illustris. & Reuerendiss. Domini, Reuerendissimique Patres. Placet ne vobis, vt proxima festio habeatur ac celebretur feria quinta, quæ erit ad diē xxv. præsentis mensis: Ita tamen, vt dietus terminus in Congregatione Generali contrahi, & prorogari liberè posset, sicuti rebus Concilij conducere videbitur? Secretarius cum Notariis acceperunt ad vota colligenda, & Respondeant omnes, Placet. & gratia actæ sunt vtsupra. Tum Illustrissimus Metropolitanus surgens nihil dicens benedixit

Populo. In hac die non adsuit D. Traenensis, ceteri omnes adsuerunt.

#### Prima Congregatio publica.

**D**ie xix. Octobris suprascripti anni 1565. fuit Congregatio publica in loco ad id constituto in Palatio Archiepiscopali. Et quoniam inter Patres maxime in priuata Congregatione disputatum fuerat, an Procuratores Episcoporum absentium essent admittendi ad tractatus in Generalibus Congregationibus, quando id irre constitutum non erat, cùm Procuratores huiusmodi votū non habeant, neque consultum; sed tamen mittantur excusandi causa, & vt ea recipiat, quæ à Synodo statuta fuerint; omnes Patres in eam sententiam venerunt, vt deberent admitti. nè tamē hoc fibi aliquando tanquam debitum vsuperarent, deliberatum est, vt ante Congregationem fieret Decretum, Procuratores Episcoporum absentium ex gratia & sine votis admitti. Itaque Patres cùm essent in ipsa aula, in qua publicæ Congregationes habentur, antequam sedissent, vocati ab Illustris. Metropolitanu, vna omnes Patres secretò Notariis præsentibus decretum quod supra dictū est statuerunt. Tum omnes oratione prius à Metropolitanu perlecta. Adsumus sancte Spiritus &c. suis in locis confederunt; Itemq; Procuratores Episcoporum, & Capitulorum, & alij quamplurimi, etenim omnibus patebat aditus. Cumq; paulum quievissent omnes, accessit ad Illustris. Metropolitanum Procurator Capituli Albenensis, eiq; suum mandatum obtulit, & excusauit Capitulum suum, quod vnum tantum Procuratorem misisset propter necessitatem & penuriam Sacerdotum; tum etiam tarditatem excusauit aduentus sui: hæc omnia submissa voce. Illustris. Metropolitanus benignè illum exceptit, dixitque satis eum in tempore aduenisse; De sui autem mandati auctoritate Reuerendiss. Deputatos cognituros; Ipsumq; mandatum Notariis tradidit. Cùm ille suo loco confidisset, Secretarius dixit: Reuerendi Domini, si quis vestrum est qui aliquid ad sanctam

Syno-